



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

51. Discrepant in operibus moraliter bonis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

incarnatus. Ecce quo nos ducat catena illa perditionis, ex quocunq; dogmate Pelagiano, vel extremâ ac tenui fibrâ dogmatis, religetur.

Atque istæ quidem postremæ hallucinationes Recentiorum ac Massiliensium, quas proximis capitibus tetigimus, reverâ sic se habent, & in vera Christi gratia, quam August. explicuit, nullo pacto admitti possunt. Verba tamen quibus in sensu Massiliensium, Deus expectare dicitur, ut purgari velimus; & voluntas divina gratia sibi parere opem, non gratia sibi humanam subicere voluntatem; alium verisimiliorem sensum habent, juxta quem, ut infra dicturi sumus, non minus Recentiores à tramite veritatis exorbitant.

NOTA XXXIX.

Causa excogitandi talis adjutorij, ne aliquin opus nullius sit laudis.

Stud verò gratiæ sufficientis & congruæ genus, eadem omnino ex causa Massilienses & Recentiores sibi machinati sunt. Vtrique enim potentem illam gratiam, quæ facit facere, & voluntatem inclinando determinat, duplici ex causa timent. Prima est, ne opus quod Deus attulerit, vel donaverit voluntati, nullius sit laudis, tanquam quod non à nobis, sed ab ipso Deo perpetratum sit. Cassianus formidinem illam nobis propala vit, & utramque causam tetigit: *Miratur Dominus atque collaudat* (Centurionis fidem) *cunctisque illis, qui ex* Itraclu *populo crediderant, præfert, dicens: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donaverat, prætulisset.*

Cassian. Col. 13.

Hoc ipsum ex utraque causa Recentioribus magnopere formidolosum est: *Si Deus ipse per se hæc (fidem & opera bona) debet in eis operari, & non expectat eorum voluntates per auxilium sufficientis præparatas, quomodo credere, & bonum operari est illi liberum? Quomodo laudem merentur, si credant & bene operentur, cum Deus hoc totum in ipsis faciat &c.* quasi non definiere Celestinus Pontifex, quod nemo aliunde Deo placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit.

Ess. lib. de grat. efficaciæ. 17. n. 18.

In Epist. ad Epist. Gall. 7.

NOTA L.

Item ne meritum operibus detrahatur.

Secunda, ne opus definat esse meritorium. Hoc Cassianus superius junxit, dum dixit: *Nullius enim laudis esset ac meriti; si id in eo Dominus quod ipse donaverat, prætulisset.*

Ea omnino causa Recentiores vehementer terret. Molina: *Peri namque libertas in prædestinato per auxiliij efficax, comparatione mediiorum seu operum ad beatitudinem & consequens ratio propriorum meritorum.* Et membro 4. *boni a-tem moralem ac meritum tolli queritur.* Et utraq; complexus causam in alio loco: *Si namque arbitrium nostrum ab efficacia aut inefficacia auxiliij divini habet, quod consentiat, aut non consentiat Deo vocanti, certe non ab innata libertate id pendet, sed à qualitate auxiliij & motionis divine; atque adeo neque est quod illi cedat in laudem ac meritum. Id ipsum non semel urget Lessius.*

Molin. q. 14. a. 13. disp. 53. memb. 2.

Malin. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.

Id est lib. de grat. effic. 13. n. 13. & 17. cit.

NOTA LI.

Discrepant in operibus moraliter bonis.

Recentiores verò, quamvis gratiam istam actu suo internam, quam jam diximus, tanquam ad opera bona necessariam plerumque requirere soleant, arbitrantur tamen etiam sine tali gratia, multa verè bona, nulliusque peccatifeoditate inquinata opera per solum liberum arbitrium exerceri posse. Nam inter eos receptissimum est, opera moralia verè bona per solum liberum arbitrium exerceri posse absque omni interna gratia, quemadmodum in Francisco Suarez, Molina, Lessio, videre licet, quorum verbis istam doctrinam tanquam vulgarissimam non opus est astruere.

In hoc verò Massilienses non habent sibi similes. Nam quamvis ipsi naturæ viribus multos bonos actus, ut fidei, & orationis, fieri posse censerent, gratiam tamen illam sine qua non, de qua jam diximus, non excluderent, quemadmodum etiam superius declaratum est.

NOTA LII.

Gratia discernens propriè unum ab altero, est utrisque natura liberi arbitrij divinitus data.

Ed cum viderent Massilienses, nullo pacto satis esse gratiam istam internam sine qua non, ut initium seu primus actus fidei, desiderij, orationis, & similes possent vocari actus gratiæ seu dona Dei; & aliam comminiscendam gratiam, cui opus tanquam veræ causæ qua fiat, attribuerent, rei naturâ id postulante, compulsi sunt. Esto enim, coinfluat ista gratia cum voluntate in actum fidei, clamat tamen ipsa perspicuè veritatis evidentiâ, non esse isti gratiæ tribuendum quod actus fiat, sed alteri causæ, quæ potentiam voluntatis & gratiam simul ad actum rapit, aut determinat. Nam politâ istâ gratiâ quantumcunque magnâ in voluntate, nunquam in æternum sequetur actio voluntatis, nisi voluntas ultrâ ei det manus, atque ad agendum se determinando velit. Ipsa igitur, non gratia, est illa causa quæ facit facere, seu quæ potentiam voluntatis ex actu primo in secundum extrahendo, ex non agente agentem facit. Gratia verò instar habitus accommodando sese nutui voluntatis, instar pedissequæ, sine qua non fieret, imperatricem suam sequitur. Itaque quemadmodum si quis calamo aureo scribat, nequam auro vel calamo, sed Scriptoris voluntati scriptio tribui debet, qui ejus vera & propriè dicta causa est, & nuncupari debet, quamvis non sine calamo coinfluente, quem ad actum secum rapit, scriptio exerceatur: ita si quis per talem gratiam credit, sperat, aut diligit, non tali gratiæ, sine qua non fiunt, sed credentis, sperantis, diligentis voluntatis nutui actus isti tribui debent. Quæ ex causa jam paulò ante de tali gratia Lessium rectissimè dicentem audivimus: *Quod conversio hic & nunc potius fiat, quam aliâs, aut alio modo, huius causa directâ & principalis est liberum arbitrium, quamvis non sine*

Id est lib. de hæresi Pelag. c. 11. ubi hæc latius.

Less. lib. de grat. effic. 18. n. 3.

auxilio